apud cordatos viros supereſſe, vel minimum ſuſpicionis, à D. Thoma eiuſque Diſcipulis legitimis, de Ethicæ Chriſtianæ rigore quicquam detractum, aut eius ſanctitati, aut dignitati minùs conſultum fuiſſe. Sed apertius in Scholæ noſtræ partem Dogmaticam, multoque periculoſius ſuſceptum eſt bellum: quod Tuo, PRINCEPS SERENISSIME *præſidio, mihi ſuſtinendum incumbit. Neque enim hîc, vt olim in ſubſidium, vocamur, ſed deſignamur in excidium: nec noſtrarum opinionum ambitur ſocietas, ſed in heterodoxorum partes relegamur.*

Quàm variæ ſunt rerum vices! quam mira & ſtupenda noſtrarum incuſationum commutatio! quis crederet Dominicanos tot malis vexandos, tot criminationibus grauandos, vt qui ſemel ad relaxatæ Ethicæ Chriſtianæ inuidiam à ſe depellendam, nos ſibi loco clypei eſſe volebant, Dogmaticæ hereſis ſuſpectæ damnationem in nos pronuncient; vt quaſi licentioris vitæ, & doctrinæ hæreticæ Magiſtri audiamus? Et hoc admirationem auget, quod adeò diuerſæ & diſſidentes incuſationes videantur ab eadem officina prodire: & qui nos Magiſtros volunt & gloriantur de Moribus; de Dogmatibus hæreticorum diſcipulos eſſe aut ſocios penè vociferentur. Infracti animi eſſe oportet, quem impauidum tot ruinæ feriant: & inuicti ac ferrei pectoris, qui tot obſtrepentibus clamoribus intercedat.

Sed præter conſcientiæ teſtimonia, præter cauſæ æquitatem apertam, id nos ſolatur maximè; quod probi fere omnes magis offendantur, quam fidem habeant his criminationibus. Verum ſi ſa-